

huius autem generis libris adhibendam eam linguam esse, qui exteris etiam nationibus scribantur, vel prodesse iis certe possint, aut quorum argumentum eiusmodi est, ut a nemine neque legantur, neque legi possint, nisi qui inter eruditos nomen profiteatur suum, facile omnes concedent: nisi quis forte confidat, libris quibuscunque, in primisque huius posterioris generis, vernaculo sermone scribendis, effici posse, ut exterae nationes, vel inuitae, ei discendae operam dare instituant. Sed ut taceam, eam opinionem vanitatis cuiusdam notam effugere minime posse: qui ita sperant futurum, minime mihi videntur intelligere, aut satis unquam cogitasse, quae res maxime effecerint, ut linguae quaedam latius aliis paterent, ac patriae fines migrarent; quod, ut olim graecae, et deinde latinae, ita hodie francicae contigisse constat. Libri certe Romanorum et Francogallorum nunquam eo valuissent, nisi armorum bellorumque vis, atque multa alia praeterea, quae hic commemorare non est necesse, ad librorum praestantiam accessissent. Neque vero lingua graeca tot terras olim peruasisset, nisi tot ex Graecia coloniae essent in varias orbis partes dimissae, et graeca gens una fuisset, quae artes fere omnes inuenisset, et ita excoluisset, ut per eam ad summam perfectionem absolutionemque pervenisse viderentur, eoque factum esset, ut omnis sapientia ab iis petenda videretur.

*Ernesti Initia.*

b

Neque